

- 1587 illi Gnesnæ Archiepiscopus Poloniæ primas ; huic Chioviæ Episcopus favebant ; ambo electorum discordia , armis regnum sibi adsciscere nitebantur : in Suecum Xamosius , magnus regni Cancellarius , nec non Amurathes Turcarum Rex , Austriorum hostes , propendebant . Maximilianum Saxoniae ac Brandenburgii Electores , ac Sboroscorum familia in iis regionibus clara ac præpotens tuebantur . Sigismundus populi favorem sibi magni Cancellarii ope conciliaverat ; Maximilianus dum ferro aditum ad regnum struit , ab adversa factione pulsus , ad Silesiæ fines cum suorum jactura se se recepit .

M. D. LXXXVIII.

- 1588 SEquitur annus partæ salutis quingentesimus octogesimus-octavus supra millesimum ; si quis alius fortunæ volubilitate , eventuumque varietate insignis , qui in Gallia veluti amplissimo totius orbis theatro editi , reliquas provincias ac regna alia ex propinquo , alia ex longinquo tetigere ; multos ad arma excivere ; plerosque incerto tantarum rerum exitu turbavere . Inde complura documenta insigni loco posita lieuit intueri ; quibus humani ingenii imbecillitas , temere suscepta consilia , sublata a proceribus infimæ plebis studia , Principum dira regnandi cupido dignosci potuit . In omnium ore Germanorum atque Helvetiorum auxilia superiore anno in Gallia dissipata versabantur ; summis laudibus Guisus Dux efferebatur , quippe qui tantam rem non minus consilio quam viribus confecisset ; ex quo foederatorum existimatione haud parum aucta , januarii exitu Nansæum coacti , a Rege , ut arctius se illis jungat , petunt ; ab arcibus magistratibusque præcipuis hæreticos summoveat ; Tridentinum concilium vulgari tota Gallia jubeat ; Inquisitionis magistratum in præcipuis regni urbibus instituat ; ecclesiasticis , quæ hucusque bona alienata fuerant , vel in posterum alienarentur , recuperandi jus permittat ; præcipuam atque insignem arcem foederatis concedat , eamque una cum aliis , quas obtinebant , communire sinat ; militum manipuli expleantur ; copiæ in Lotharingia ad externos impetus propulsandos augeantur ; ad cœptum bellum continuandum , hæreticorum eorumque socio-
rum

*Galli pro-
ceres fede-
rati Nan-
sæi conve-
niunt , &
eorum peti-
siones .*